

XX.

Primò dicitur de Spiritu S. *immensitas* Psal. 139, 7. quo ibo Domine à Spiritu tuo: & Sap. 12, 1. Incorruptibilis Spiritus tuus est in omnibus; 1. Cor. 3, 16. 1. Cor. 12, 11. omnia in omnibus operatur.

I.

XXI.

Aternitas: Esa. 40, 13. & Gen. 1, 2. ubi in principio fuisse innuitur S. S. cum omnes aliæ creaturæ esse inciperent; verba sunt in textu; In principio creavit Deus coelum & terram &c. & Spiritus Domini (רוח יהוה) ferebatur super aquas.

II.

XXII.

Nec Spiritus creatus hic potest intelligi (ut Photiniani volunt) siquidem ejus origo non describitur, sed simpliciter ei operatio tribuitur. Hinc Heb. 9, 14. dicitur πνεῦμα αἰώνιον.

XXIII.

Cætera, quæ hic Photiniani objiciunt, fere omnia unica responsione elidi possunt, nempe si distinguatur, inter Principium temporis & Ordinis; hoc Spiritui S. tribui libenter concedimus; illud non.

XXIV.

Omnisapientia, & *omniscientia*; Esa. 40, 13. Joh. 14, 20. Hinc vocatur Spiritus sapientiæ, intelligentiæ & consilij Esa. 11, 2. imò ipsas Dei profunditates dicitur scrutari 1. Cor. 2, 10.

III.

XXV.

Hic rursus ogganniunt adversarij abusi dicto Christi: Nemo novit Patrem, nisi Filius, &c. Ergo, inquiunt, S. S. per se neque Patrem novit. &c.

XXVI.

Resp Pluris est nobis autoritas Apostoli 1. Cor. 2, 10. quam hæc insulsa adversariorum collectio; quam ipsam una Theologorum nostrorum regula enervat; ea est hæc: Quando aliquid, quod Deitati absolute convenit, de una persona Trinitatis dicitur, & exclusiva particula adjecta est, tunc ea non personis reliquis opponitur, sed ijs duntaxat, qui extra Trinitatem sunt. Ergo quando Matth. 11, 27. dicitur: Nemo novit Patrem, nisi Filius, non certè excluditur
ibi

ibi